



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 60. Surgite eamus. v. 46.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

Deus meus, ne quæso tribuas mihi secundum demerita mea, sed secundum infinitam misericordiam tuam: miserere mei: nec intres in iudicium cum seruo tuo, sed statue. Obsecro hanc accerbissimam passionem tuam inter iudicium tuum & miseram animam meam atque peccata mea, & quidquid merentur iniquitates meæ excuset hoc accerbissima mors tua, diluat preciosissimus sanguis tuus.

§. 60. *Surgite eamus. v. 46.*

Postquam uti dictū est & orauerat & Apostolis quietem permiserat, & ipse pro eis excubauerat, & resolutus ad patiendum pro nobis & moriendum in satisfactionem peccatorum nostrorum, etiam veniente hoste, Apostolos excitauerat, non contentus stare in loco & expectare hostis irruptionem intrepida mente & corde, sed etiam quasi Dux strenuus obuiam iturus hosti, hortatur milites suos & Apostolos ne timerent, sed surgerent & comitarentur se vltro in hostem, quod est stratagemā valde illustre in bellis, si prudenter fiat, uti hic factum fuit à sapientia æterna.

**C**ogita nunc, ô anima mea, esse te cum Christo in horto & hæc illum tibi verba dixisse. Surge; & vade: surge itaque ô anima mea à somno vitiōrum & à somno torporis ac fallacium oblectamentorum terræ, ab omni quoque delectatione & commodis naturæ, arreptaque viriliter Cruce penitentia & afflictionum sequere Christum Dominum tuum, simulque cum ingenti compassione & intimo amore miserabilem ac deformem conspice figuram saluatoris tui, cogitans te esse causam passionis suæ. Expende diligenter quanta fuerit interna animæ illius angustia ex signis externis maxime afflicti corporis eius cuius dolores utpote magis notos facilius apprehendere soles. Et sic pedibus eius prostrata, cum tanto dolore & compassione cordis, quantam à Deo consequi potes, & cum feruentibus lacrimis grauibusque & altis suspiriis precare.

O Iesu Dux fortissime & inuictissime qui mundum & naturam tuam vicisti quæso per potentiam tuam conforta infirmitatem meam, vt sensuilitatem & rebellem ac immortificatam naturam meam omnesque inordinatos, ad quamlibet inferiorem rem mundi huius, affectus penitus vincam, edomemque, auertam me perfecte ab omnibus quæ maculare possint cor meum, & aliquid inter me & amorem tuum interponere, quo te Dominum meum tam pure, tamque feruide diligam & sequar, quàm est possibile mortali creaturæ.

§. 61.